
26

EPISTOLA
PASTORALIS

AD CLERVM

POPVLVMQVE VNIVERSVM

TARRACINENSEM PRIVERNATEM ET SETINVM





ROMAE
EX TYPOGRAPHIA BONARVM ARTIVM
ANNO MDCCCLIV.

25

NICOLAVS BEDINIVS ROMANVS
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
EPISCOPVS
TARRACINENSIVM PRIVERNATIVM ET SETINORVM

VNIVERSO CLERO AC POPVLO SVO

Pacem et Salutem a Domino Sempiternam



Saepenumero primum pueritiae meae tempus, et anteactae vitae spatium mecum repeto, et dona mihi divinitus collata ante oculos pono, ut quotidianas pro tot beneficiis gratias Deo bonorum omnium auctori rependam. Ea enim tanta extiterunt, ut nunquam ex animo exciderint. A teneris annis a periculis ereptus, in quibus puerilis aetas versari solet, in gymnasium gregorianum celebre religionis et bonarum artium domicilium, cui tunc egregius huius urbis clerus praeesset, fui admissus. Exinde huic Pontificio Seminario Romano, cuius iam pars fueram, propius adhaesi, in eoque partim in edocendis, partim in moderandis iuvenibus pene per sex lustra fui commoratus. Haec vobis, qui nunc Fratres et Filii in Christo carissimi mei estis, commemoravi, ut facile cognoscatis, quanto dolore ab iis, quibuscum meae praeteritae vitae tempus pene omne transegi, divellar. Quod enim aliud vitae genus mihi magis erat expetendum? Quid magis iucundum quam cum viris doctissimis, et morum gravitate spectatissimis familiariter, dulcique eorum societate quotidie uti, ex quibus eos habui, quos ut parentes diligebam, et a quibus bene-

volentia plane paterna diligebar? Quid suavius homini iuvenibus moderandis accito, quam dies noctesque in puerorum coetu morari, in quibus non solum vitae integritas, addiscendi cupido, sed et incredibilis in suos moderatores amor, et benevolentia eluceat? Atqui dum in hac rerum iucundarum varietate vitam traducebam, quas mihi huius Lycei collegae, et Seminarii alumni gignebant, subito vox audita est, quae pristinam vitae consuetudinem immutandam esse indiceret. Christi in terris Vicarii, nempe Pii IX. Pont. Max. vox erat, quae eo magis meum animum perculit, quia a puero eam audire, et vereri didiceram, tum cum propius admirandas Illius virtutes suspiciebam, quae tantum Virum ad Petri cathedram iure evexerunt. Obstupui certe cum primum me Episcopatus dignitate esse decorandum comperi, cuius onus angelicis humeris formidandum Ven. Frater Guillelmus Sillani vir in primis sanctitate et animarum zelo insignis post undeviginti annorum labores venia cum lacrimis a Pontifice Summo implorata abdicabat: at stuporem sensim imminutum fletus et lacrimae sunt consecutae, quia non solum tanto honore me indignum censebam, sed et ante oculos tot res suavissimae statim relinquendae obversabantur. Tamen Pontificis voci sum obsecutus, et iamdiu omnes meas curas, omnesque cogitationes in gregem mihi traditum converti. Vos igitur omnes, qui mei nunc estis, primum alloquor, unumque oro, ut vestri Pastoris verba audire discatis; et meus sermo ut hodie, sic in posterum erit apertus, cum ea sit mihi indoles, quae candorem, et aperta animi sensa sequatur.

Iure autem meritoque vos, o amplissimi viri, qui trium Cathedralium Dignitates, et Canonici estis, primum mea compellat epistola, namque principem in ecclesia locum habetis. In vobis ordinem illum mirificum, ac pulchram varietatem contemplor, qua Christi sponsa gravior, et magis venusta apparet. Cum enim loci vestri ratione propius ad Episcopum accedatis, quodammodo illius dignitatis participes esse videmini.

Hinc pro re nata sequitur vos *opera, atque officio illum iuvare* oportere (1), nec ego vestrum consilium, aut opem recusabo; proque meis viribus efficiam, ut populo meis curis commisso ex hoc mutuo nexu pateat *dilectio animi, collegii honor, vinculum fidei, et concordia sacerdotii* (2); nec unquam conquiescam, donec *memorabile presbyterium dignum fiat Deo, atque ita coaptatum Episcopo, ut chordae citharae* (3). Hae primae fuerunt preces, quas Deo supplex ac humilis admovi, ubi ad has Cathedras fui electus, ut mihi et vobis cor unum, et anima una esset.

Nec diversa ratione, o venerabiles Ecclesiarum minorum Canonici, vos alloquar. Perpendite titulos, et nomina, quibus praecellitis, atque ea semper sit vestrae vitae ratio, quae viros decet, qui sequestri Deum inter et homines sint constituti.

Quodam veluti nativo impetu ad vos fertur meus sermo, o inclyti Paraeciarum Rectores. Ne sim carus Deo, nisi vos tanta benevolentia semper prosequar, quantam quidem vestrum ministerium sibi vindicat, et suo iure deposcit! Nonne vos estis duces, et pastores in Israel, quorum est commissas oves ad pascua ducere? Quis dies noctesque vigilias, et excubias exerceat ad lupos, furesque arcendos, ne oves mactentur, nisi qui a Deo, et Apostolorum successoribus ad tantum munus fuit vocatus? Ut vero onus vobis impositum compleatis, nihil aliud vobis peragendum est, nisi Principis pastorum vestigia sectari. Agnos vobis traditos *pascite verbo, pascite exemplo, pascite sanctarum fructu orationum* (4). Oro vos, obtestorque, atque etiam auctoritate, quae data est mihi, praecipio vobis, ut diebus festis verba ad populum habeatis. Tunc fluenta evangelii de ore vestro excurrant, a quibus

(1) Conc. Trid. de Reformat. Sess. 24 Cap. 12.
(2) S. Cyprianus
(3) S. Ignatius ep. ad Ephes.
(4) S. Bernardus

aquam in gaudium, et salutem sitientes populi possint haurire. Sermo autem vester fructum erit habiturus, si vestrae exhortationes vitae puriter ac sancte peractae omnino respondeant. Serio quidem vestra conditio perpendenda est, quam gravis ea sit, quamque periculosa. Vobis ex adverso est hostis semper vigilans ad vestras actiones explorandas, notandasque. Quid vero de iis, qui lupi fiunt, pastoribus dicam, et misere suis ipsis manibus oves perdunt, dilaniant, exterminant? Vae illis, quia in Caini viam abierunt! Quis homines tam impios, ac scelestos a ventura ira liberabit? Sed tantam calamitatem, tantumque exitium huic gregi numquam superventurum confido. Quisque autem animarum curator ex S. Pauli admonitu ita semper agat, ut *qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis* (1). Sed cum neque plantatio, neque rigatio per nos facta aliquid valeat, nisi Deus illis det incrementum: cum nos servi simus non solum inutiles, sed infirmi quoque, et in periculis positi, Deo est quotidie supplicandum. Cavete igitur ne ullus transeat dies, quin in meditatione matutina vestri cordis ignis exardescat, et saepe supremum largitorem, a quo omne donum optimum venit, primum pro vobismetipsis, ut animam puram, et cor ardens habeatis, rogate; deinde pro ovibus vestrae curae concreditis, ut iugum Christi ferre assuescant, et sanctorum operum fructum assequantur.

Sed antequam longius mea epistola excurrat, date quaeso, ut quotquot sacerdotali charactere decoramini, simul omnes vos alloquar. Quid vos a cetero populo nisi character distinguit, nempe signum illud coeleste animae insitum, quod etsi invisibile, tamen adeo in hominum oculos incurrit, ut quos eo adauctos fuisse sciamus, admiremur? Hoc iam Deus significavit, cum dixit, *separavi vos a ceteris populis* (2). Ergo quamvis a populo fuistis assumpti, et in medio populo

(1) S. Paul. ep. ad Tit. Cap. II, v. 8.
(2) Levit. Cap. XX, v. 26.

estis, non amplius eius populi pars estis dicendi, sed tamen vos pro populo agere, et vivere quisque fateatur. Accipite ergo, fratres in Christo venerabiles, quaenam sit de vobis in hac re mea voluntas, cui vos ultro libenterque obsequemini. Vos *dii estis*: Deus autem in sede maiestatis suae sedet gloria spectandus: et vos cum in templo, quod Dei sedes est praecipua, fueritis, maiestatem vestram tueri, et praeferre debetis: nempe in modestia, et gravitate laudes divinas concinite, et *vestri cantus, et soni graves, et pii sint oportet, ut ad pietatem audientes excitare valeant* (1). Presbyteris Dei domus tradita est, eorumque est non solum decus et ornamentum, sed et nitorem inquirere. Nonne vos mendacii argueremini, si Deo quotidie dicentes vos dilexisse decorem domus Dei et locum dominicae habitationis nullam tamen de loco sancto curam haberetis? Quisque vestrum pro sua virili parte in hoc munus incumbat: vasa munda sint, lina candida, vestes maiestate divina non indignae, et quaelibet templi pars illum nitorem, et munditiem quotidie ostendat, quae Deo omnino debetur. In re tam gravi vestram sollicitudinem, vestram religionem, vestram curam exposco; nec grave mihi erit saepe templa, et singulas eorum partes invisere, et omnia, quae ad externum Dei cultum spectant, penitus inspicere, et cognoscere, nec desidiosis et negligentibus unquam parcam. Sed postquam vos Dei templis consulueritis, vobismetipsis prospicite. Velim enim vestram sacram personam sustineatis, praeque oculis dignitatem, qua in ordinatione fuistis cohonestati, habeatis. Huiusmodi dignitas postulat, ut vobis nihil arroganter, nihil superbe agentibus ea sit vitae ratio, qua nescio quid maius et nobilius aliis videamini. Incredibile enim dictu est quantum obsequii detrahat familiaritas nimis communis, et societas frequentior, qua ecclesiastici viri cum laicis utuntur. Foedum

(1) Conc. Mediolan.

autem visu est inspicere presbyteros in officinis cessantes, vel in plateis et in viis frequentibus ambulantes, presbyteros, inquam, quibus perbelle quadrant verba illa evangelii, *quid hic statis tota die otiosi* (1)? Vineae Dominus huiusmodi hominibus omnino dicit; *ite et vos in vineam meam* (2), quae assiduis laboribus, et solerti indiget cultura. Ite in aegrorum domos, eosque piis verbis, alloquioque coelesti recreate: ite ad pueros, dum in viis procul a parentum oculis insolescunt, eosque christianae religionis praecepta edocentes a turpi eruite criminum coeno: ite ad sacra tribunalia, ibique patienti, et benigno vultu peccatores, qui ad Deum converti velint, expectate: ite tandem in domos vestras, et divinas paginas, et sanctorum patrum libros evolvite, ut vestra doctrinis sacris exculta mente populum christianum erudire possitis. Ex hac autem nimia clericos inter et laicos societate nascitur mala illa, aut saltem infima de ecclesiastico coetu opinio, et quandoque etiam vitia, propter quae venit ira Dei in homines, et crimina quaedam oriuntur, quae nec nominari in nobis S. Paulus praecipit, nec ego nominabo. At dicam *frustra dignitatem iactatis, cuius opera non exhibetis* (3), praeterea *vosmetipsos ceteris non modo fidelibus, sed et sacerdotibus quamdam vivendi regulam exhibete* (4). Namque *omnium oculi in vos diriguntur, domus vestra, et conversatio vestra, quasi in specula constituta, magistra est publicae disciplinae. Quidquid feceritis, id sibi omnes faciendum putent* (5): porro *abstinete ab omni opere malo et ab omni inquinamento carnis liberi manete, ut mundi corpore, purgati mente possitis ad sacrificium Christi digne accedere, et Deum pro delictis omnium deprecari. Quamvis conscientiam puram apud Deum vos habere oporteat, tamen et apud homines fa-*

(1) Matth. Cap. XX, v. 6.
(2) Ibid. v. 7.
(3) S. Hieronym.
(4) S. Pet. Dam. ep. I, lib. 2.
(5) S. Hieronym. ep. III ad Heliodorum.

mam optimam custodire convenit, ut iuxta praeceptum apostolicum non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus *vitae sanctae testimonium habeatis* (1). Famam autem optimam custodietis, et vitae sanctae testimonium habebitis, si in terris non cum hominibus, sed pro hominibus solum vivetis. Et necessaria si vobis est a curis quotidianis, et laboribus assiduis relaxatio, ea sit inter vos laeta quidem et iucunda, at quae ecclesiasticam semper praeseferat gravitatem. Societas autem, quae inter vos est iucunda, fons erit, ac origo bonorum, quae ad vestram religionem, vestrique muneris sanctitatem pertinere intelligitis. Ex huiusmodi bonis illud optatissimum ante omnia est mihi expetendum, nempe vinculum pacis et concordiae, quod inter vos, vestrumque Pastorem nunquam dissolvatur. O Fratres mihi carissimi, quos hoc nomine dulci, et beato hic appellem oportet, vestrum est inprimis perficere, ut concordia illa, quae cum Pastoribus semper intercedere debet, perpetuo maneat, et nulla unquam offensione rescindatur: atque hac ratione deleri queat illa improborum hominum accusatio, quae Clericis persaepe immerito discordiae, ac simultatum crimen affingit. At vero cum nos debitores simus sapientibus et insipientibus, huius querimoniae causae sunt plane auferendae. Ego ad vos ingrediar quemadmodum iam olim Samuel Isai domum intravit: et ego vobis dicam *meus ingressus pacificus est* (2). Cum pro Christo legatione fungar, qui veniens evangelizavit pacem hominibus, et ego vobis evangelizabo pacem: at huius legationis vos quoque socii et collegae estis: igitur et vestrum erit pacis, et mutuae perpetuaeque inter me et vos concordiae esse auctores: et quemadmodum adventus meus ex me erit pacificus, sic vestro Pastori sit vester occursus. Ad im-

(1) Conc. Tolet. IV. can. 20 et 21.
(2) I. Reg. Cap. XVI. v. 4.

molandum Domino venio: at sanctificamini, et venite mecum; pro certo enim habeo ex hac immolatione pacem esse orituram, quam nulla vis imminuere, et perturbare poterit. Cum iam nos unum simus, haec volui statim annuntiare: interea hanc epistolae partem suavissimis his verbis claudam: *Quid volo? Quid cupio? Quid hic sedeo? Quare vivo nisi hac intentione, ut omnes simul vivamus? Cupiditas mea ista est, gaudium meum hoc est, possessio mea ista est: sed si me non audieritis, et tamen ego non tacuero; animam meam liberabo: sed nolo salvus esse sine vobis* (1).

Nunc vos alloquar, adolescentes, qui in sortem Domini vocati ad maiores Ordines accipiendos properatis. At quaeso Concilii Tridentini verba perpendite, eaque ante oculos vestros velim usque habeatis. Vobis in animo est ad celsam eamque divinam Sacerdotii dignitatem promoveri? ast oportet *de gradu in gradum ita ascendere ut in vobis cum aetate vitae meritum, et doctrina maior accrescat, quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in Ecclesia ministerium, atque maior erga Presbyteros reverentia, et crebrior quam antea Corporis Christi communio maxime comprobabunt* (2). Paucis comprehensa sunt tum quae vobis sint peragenda, ut ad tantum fastigium pervenire possitis, tum quae mihi servanda, ut ii solum promoveantur, qui tanto honore digni esse censentur. Ex praecepto apostolico nemini cito manus imponam, nisi vitae pure et caste semper ductae luculentissima testimonia antea mihi praebeat: nunquam aliquem ad ordines admittam quoscumque, nisi eumdem pietati satis deditum, et in bonis artibus plane eruditum reperiam: neminem de gradu in gradum ascendere patiar, nisi religiosum et crebra Corporis Christi communione Dei amantem, et zelo pro animarum salute ardentem deprehendam. Quid enim Ecclesiae interest multos numerari Presbyteros, cum *melius sit*

(1) S. Augustinus.
(2) Conc. Trid. Sess. XXIII. de Reform. Cap. XII.

Domini sacerdotium paucos habere ministros, quam multos inutiles (1)? Haec praecipue velim spectent clericos, qui extra sacros recessus et eum locum vivunt, quem tantopere concilii tridentini Patres in deliciis habuerunt. Vos autem, qui in Seminario versamini, diutius morabor. Cur praecipuo amore, ac singulari benevolentia vos non prosequar? Ecquid? non omnes meas curas, omnesque cogitationes in vos vertam ego, qui totum meae aetatis tempus inter iuvenes sacris ministeriis addictos transegi? Modo hic unus dolor, atque haec una animi aegritudo me angit, quod suavissimi pueri pietate et studio insignes mihi post tot annos sint relinquendi. Vestrum igitur est, filii carissimi, quos nuper in Christo genui, tantam animi acerbitatem lenire: hoc autem fiet, si mores ac virtutes adolescentium selectissimi romani ephebei aemulati fueritis. Hoc vobis aemulationis studium cordi sit maxime, ne aliquando cogar eorum exemplis uti, si qua in re, quod absit, a virtutis tramite deflexeritis. Tunc enim huiusmodi iuvenes proponere vobis deberem, quibus crebra Corporis Christi communio est in deliciis, quosque amor in Sanctissimam Virginem ardens, morumque castitas satis distinguit. Vix ac ad vos regendos fui electus statim Deiparae immaculatae, et labe primaeva carenti vos commendavi, et tanta auspice, atque patrona omnia prospera in posterum mihi de vobis futura confido. Nuper autem novus ad virtutem, et ad bonas artes assequendas stimulus vobis accessit, cum Pius IX. Pontifex Maximus, et Princeps optimus, atque beneficentissimus novum in Urbe pro suae ditionis dioecesibus Seminarium instituit. Quamprimum enim alter ex vobis hoc munere tam illustri ac praeclaro fruetur. Oportet autem ut illud egregiis animi dotibus, et eruditione haud mediocri comparetis. Eius rei etiam vobis sum testis, quod Seminarium Pium felicibus auspiciis dedicatum iam egregios iuvenes excepit, in quibus alacre discendi de-

(1) Conc. Lateran. IV.

siderium, et miram pietatem intueri licet. Macti igitur animo, ac virtute estote, et mutua aemulatione ad hoc bonum adipiscendum quisque vestrum serio contendat.

Nec iure in hac mea epistola vos, o religiosarum familiarum alumni, possum ullo modo praeterire. Sed paucis omnia expediam. Cur nostro aevo bellum tam grave, tam tetrum vobis christiani nominis hostes indixerunt? Cur infidum vaferrimorum hominum genus variis et subdolis modis vos apud fideles in invidiam vocavit? Noverunt illi quidem quantum emolumenti, quantumque commodi Christianis viris a vobis afferatur: et miseri iniquis oculis vident vos veluti arces ac populorum propugnacula haberi, a quibus omnes adversariorum vires et impetus propulsantur. Fortes igitur estote in bello, neve animo unquam deficiatis. Patrum vestrorum legibus et institutis insistite, recessum, et solitudinem diligite, et precibus, ut consuevistis, operam date. Hac una ratione vestri hostes conticescent. Porro vobis nec molestum, nec grave sit in aliorum sacerdotum auxilium venire, cum seges in Dei vinea tanta sit, ut plures ministros, pluresque cultores exposcat.

Hic vero quae dicendi ratio vobis digna erit, o Virgines, quae terrenis rebus abdicatis vosmetipsas Deo solemni religione devovistis? Nae vos beatae estis, quia unis vobis immaculatum Agnum quocumque ierit sequi fuit concessum! Vestrae igitur deliciae sint cum uno Christo vitam vivere, nec curae amplius vobis esse debet, quod iam alacres firmo pede calcastis. Quaeso cur illustrem et clarum in Ecclesia locum occupatis? Cur haec tantum de vobis studium, tantamque sollicitudinem gerit, vestrorumque septorum patronam ac vindicem se constituit? Vos enim *flos estis, ac pretiosus lapis inter sua ornamenta* (1) quae sunt diligentissime custodienda. Maximam autem in vestris precibus, quas ad Sponsum saepe per dies funditis,

(1) S. Hieronym.

spem et fiduciam ego pono. Atque haec paecipua vestri officii pars esse debet. Cum iis, quae extra vos fiunt, nuncium ultro remiseritis, ea ne amplius quaeratis; at potius precibus, et supplicationibus date vos illud tempus, quod ceteri homines pro officiorum negotiorumque rationibus tribuere nequeunt. Et vos ita societatis humanae commodis et bono, quibus pro sua parte consulere quisque debet, studebitis! et animalis homo quae sunt spiritus percipere haud valens, vitae genus a vobis susceptum nec arduum nec humanis viribus, Deo adiuvante, maius esse invitus fatebitur.

Nunc autem *os meum patet ad vos*, quibus altera et maior mei gregis pars constat. Vos ex gente illa estis, quae sancta dicitur; vobis sacerdotium regale fuit datum; vos populus acquisitionis nuncupamini; quippe Deus eum suo sanguine acquisivit. Omnia quidem quae Christus in sua Ecclesia constituit, praecipue vobis, vestraeque perpetuae incolumitati sanxit, et firmavit. Quare igitur Principis Pastorum vestigia non sequar, qui ad omnem populum suas doctrinas effundebat? Vos alloquor, Optimates et Proceres, qui cum primum locum in populo habeatis vel maiorum virtute, vel ipsis recte factis partum, nemo vobis illum iure invidere potest. Gratulor quidem honores, et divitias honestis laboribus, curisque sapientibus adeptas, at cavete ne iis donis a Deo ipso tributis abutamini. Consilio et opibus homines rudes et calamitosos defendite: et si rerum publicarum, piorumque locorum administratio vobis est tradita, efficite, ne quod plebis bono, et populi utilitati inservit, versipellis paucorum ingluvies extorqueat, et devoret. Penes vos viduae et pupilli ab aliena impotentia oppressi columen et perfugium habeant, et vosmetipsos in bonorum operum exemplum ceteris proponite. Ut enim alios genere, divitiis, et muneribus antecellitis, sic pietate, religione, omniumque virtutum exercitatione anteire eosdem oportet. Ad has virtutes ipse quoque confugiam, et in populi bonis, et commodis procu-

randis vos mihi socios libenter adsciscam. Episcopi quidem munus praecipuum est morum puritati, religionisque incremento advigilare: si autem duo haec bona iis subsidiis mihi consequi detur, quae ad animos excolendos erudiendosque pertinent, omne me tulisse punctum, illudque iecisse fundamentum putabo, quo incolumis quaecumque respublica existit. Ad hanc culturam provehendam non solum ecclesiasticorum hominum, quibus dictum est *docete omnes gentes*, curas et zelum, sed optimatum, et procerum charitatem, consilia, et solertiam excitabo.

Mihi nunc superest, ut tandem reliquos fideles alloquar, quos ego novus pater tamquam dulcissimos filios amore et benevolentia complector. Omnes tum animi tum mei corporis vires vobis unis inservient: dies noctesque populi curam agam, quem Deus multa sapientia ornavit, atque etiam de rore coeli, et de pinguedine terrae divitem effecit, ut magis magisque sit felix, et diu multumque pacis pulchritudine perfruatur. At memineritis, filii carissimi, vos tunc a Deo suis beneficiis fore cumulandos, si divina praecepta servaveritis, in quibus omnia vestra officia comprehenduntur: si Ecclesiae, quae vestra est Mater, filii fueritis obsequentes: si iis tandem, qui in terris a Deo principes et magistratus sunt constituti, subiectionem adhibueritis. Omnia bona de vobis mihi spondeo, quia novi cor docile, et animum virtutibus assequendis idoneum a Deo vobis fuisse donatum. Huius rei testes sunt tot viri pietate, doctrina, et muneribus insignes, qui nunc in pontificia ditione tamquam lumina clarissima splendent, eorumque in publicis negotiis procurandis sagacitatem, et prudentiam omnes admirantur. Cum autem natura vestris regionibus terras fertiles, et foecundas dederit, in eas excolendas, amplificandasque fruges omnem industriam, atque operam sedulam conferatis. Hinc tum ab inopia tum a vita inerti procul eritis; utraque enim malorum origo est, atque calamitatum. Et cum per labores agrestes, et sollicitudines

quotidianas licuerit, praesertim diebus festis officia, quae catholicos homines decent, complete, et catecheses christianas memoriae mandate, aut saltem in vestris paroeciis audite. Atque ego auctor ero, ut et vos me duce, meque moderatore illis subsidiis frui possitis, quae altius divinae religioni cognoscendae, et christianorum officiis tum in Deum tum in patriam perficiendis necessaria videantur. A pueris incipiam, et omni cura, diligentiaque utar, ut recte eorum animi excolantur. A bona scilicet iuvenilis aetatis institutione totus societatis ordo et ratio pendet! Illius vero rei admonitos vos volo patienter vivere, et aerumnas bono animo ferre. Negari quidem nequit nos in mala incidisse tempora: at inter angustias et infortunia christianorum animi puriores evadunt. Cavete quaeso ne in illorum numero recenseamini, de quibus iamdiu Deus est conquestus, qui dum omnia prospere sibi succedunt bene se gerunt, sed *in tempore tentationis* animo cadunt, et a Deo *recedunt* (1). Permanete igitur in fide, quam ipsi Apostoli vobis tradiderunt, et obsequium et obedientiam Pio IX. Pont. Max. et Principi optimo integram et perpetuam servate, et si nunc calamitates ingruant, his Deus paenis populorum culpas persequitur! neque eae magistratibus, aut rerum publicarum rectoribus, qui a vobis huiusmodi mala deprecari nequeunt, sunt tribuendae. Accipite quaeso doctissimi Patris verba = *una eademque calamitatum vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur, boni autem precantur, et laudant. Tantum interest non qualia, sed qualis quisque patiatur* = (2). Haec, fratres et filii carissimi, absens vobis scripsi, plura enim cum vos primum videro dicam. Interea me vestris precibus commendo, quas ad Deum quotidie effunditis; sed et addite vota pro Pont. Max. Pio IX., qui uti difficillimis temporibus ad Petri navim gubernandam divinitus fuit vocatus, non se-

(1) S. Luc. Cap. VIII. v. 13.
(2) S. Augustinus

cus ac alter Moses in fide et lenitate, quibus adeo praestat, quoscumque vincat hostes, et Ecclesia tandem aliquando pace, ac tranquillitate perfruatur. Cum vero Vir Eminentissimus Constantinus Patrizi Albanensium Antistes, et SSmi D. N. in Urbe Vicarius me hodie Episcopum consecrarit, et antiquis beneficiis hoc maximum addiderit, vos oro, ut et ipse vestrarum orationum particeps fiat, et vinea assiduis laboribus, curis, eiusque prudentia tam bene exculta ad viri solatium in dies magis magisque vigeat, et uberrimis fructibus augeatur. Tandem quo mea verba vim habeant, Deum enixe obsecrabo, ut servi sui exhortationibus eam gratiam addat, quae una hominum animos ad bene, sancteque agendum movere possit. Tuam etiam opem, o Virgo Deipara, cuius maternam benevolentiam, et patrocinium a teneris annis fui expertus, imploro: huius gregis sis usque vindex, et sospitatrix! ut, cum ante Deum iudicem sistar, possim dicere, ex iis quos mihi Christe dederis, tui sanguinis virtute, tuaeque Matris auxilio neminem perdidi. Adeste etiam vos, Patroni coelestes, sub quorum tutela istae urbes, et isti populi sunt constituti. Manus ad Deum pro eis protendite, et multum orate pro populo, et universis istis civitatibus: vos enim estis veri fratrum amatores, et multa pro iis fuistis perpessi (1).

Valete, Fratres, et Filii mei in Christo carissimi, saluto vos in osculo pacis.

Dat. extra Portam Coelimontanam ipso Consecrationis nostrae die VI. Id. Ian. An. MDCCCLIV.

(1) II Mach. Cap. XVI. v. 12.

IMPRIMATUR - Fr. Th. M. Larco O. P. S. P. A. Mag. Soc
IMPRIMATUR - A. Ligi Archiep. Icon. Vicesg.